

## CAPUT XX

signa, quibus ardens ab aliis distingui-  
tur febribus, adducit.

**C**Onvenientiam cum quibusdam aliis febribus magnam in certis partibus cum habeat ardens, summâ opus diligen-  
tiâ & circumspectione, ne confundatur cum aliis.

I. A SYNOCHA PUTRI SANGUINEA (1.) ratione materiæ biliosæ distinguitur. Ardens ex flavâ bile putrescen-  
te accenditur; *Synochos* verò ex putrefacto sanguine confa-  
tetur, teste *Aetio tetrabibl. 2. serm. 1. cap. 77.* (2.) In synochâ calor non est adeò urens, nec sitis adeò inextinguibilis, quem-  
admodùm in ardente, in quâ vix sedari potest, longâ etiam  
potione. Nam quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. (3.) Accessionibus quoque differt. *Synochos* sola inter putridas ac-  
cessionibus & repetitionibus caret, ideò quia materia non mo-  
vetur de locô ad locum, nec ex venis majoribus ad minores  
detruditur, sed unâ tantùm accessione febris terminatur. *Ar-  
dens* verò, quamvis non declinet, suas patitur exacerbatio-  
nes de tertio in tertium, juxta *Galenum 2. de crisibus cap. 3.* ob  
materiæ ex majoribus in minores venas transmissionem.

II. A BILIOSA SYNOCHA iisdem ferè signis digna-  
scitur ardens, cum hæc à bile flava excrementitiâ; illa à bile  
alimentali, quæ nihil aliud est, quam sanguinis calidior pars,  
originem ducat.

III. A LIPYRIA differt in hoc, quod horum corpora  
exteriùs per totum morbi decursum frigeant; in ardente verò  
frigus non ita, nec semper est intenso. Lipyriam comitatur  
inflammatio & exustio intolerabilis interna: in ardente nul-  
lum praecedit inflammationis signum.

IV. A TERTIANA INTERMITTENTE distinguitur,  
quod in hæc calor remittat, in ardente verò pertinaciter  
duret.